

mus cum appensione nostri sigilli. Datum et actum Hayn anno domini millesimo trescentesimo quarta feria proxima post diem sanctae trinitatis. Testes huius sunt Guntherus comes de Kevernberg, Heynricus camerarius de Vanre, Albertus dapifer de Burnis, Vlricus de Pak, Johannes de Schassowe, Apetz de Nuenhowe, Schybanus de Promenitz, Johannes noster notarius et quam plures alii fide digni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Reitersiegel an Fäden von grüner Seide.

No. 188. 1300. 11. Sept.

Der Probst und Convent nehmen eine Schenkung der Mechtild, Dienerin Heinrichs von Hunsperch an, versprechen die hiernach geordneten Messen zu halten und erklären, dass Mechtild Theilhaberin sein solle aller Fürbitten und guten Werke ihres Klosters.

In nomine domini amen. Nos Cunradus dei gratia praepositus, Albertus prior totusque conventus ecclesiae sanctae Afrae in Misna omnibus Cristi fidelibus hanc litteram inspecturis orationum studium devotarum cum salute in omnium salvatore. Quoniam psalmista testante ab intuitu mortalium res transitoriae cito foras fugiunt et tamquam a corde mortui sic traduntur oblivioni, qua propter necesse est, ut ea quae geruntur in volubilitate temporis, ne simul cum instabilitate ipsius praecipitentur, litterarum testimoniis studiosius perhennentur. Hinc est quod nos totumque capitulum nostrum recognoscentes et tenore praesentium protestantes universis Cristi fidelibus tam praesentibus quam futuris notum esse medullitus affectamus et tenaci memoriae iugiter commendandum, quod nos accedente consensu totius capituli nostri honorabili matronae Mechtildi famulae domini Heynri[ci] de Hunsperch circa nos et nostram ecclesiam quam intimae pietatis visceribus permotae et misericordiae opera nobis copiosius exhibenti, talentum denariorum Vribergensium annui census et sexagenam ovorum et quatuor pullos cum omni iure proprietatis in villa parrochiali nostrae ecclesiae, quae dicitur Quaskewitz^{a)}, iusto utrobique emptionis et venditionis titulo pro octo marcis argenti denarialis vendidimus mediante, ipsa autem supernorum desiderio flagrans divino sibi flamine inspirante ob reverentiam omnipotentis dei et gloriosae virginis genitricis suae Mariae praenominatum censum, sicut praelibatum est, nostrae ecclesiae et specialiter conventui reddidit dotavit et obtulit possidendum perpetuo sub hac forma, ut quicumque sacerdotum fuerit tertius hebdomadarius tres missas in septimana, primam de sancta trinitate, secundam pro defunctis eiusdem matronae parentibus, tertiam de domina nostra cantet praefata matrona vivente, postquam vero deo vocante ipsa viam carnis ingressa fuerit universae, praenotatae duae missae transmutabuntur in missas fidelium defunctorum. Statuimus etiam instante femina saepedicta, ut quicumque exstiterit nostrae ecclesiae custos, memorati census collector sit et possessor, tollendo in festo sancti Martini dimidium talentum et quatuor pullos, in festo sanctae Waltpurgis dimidium talentum et sexagenam ovorum, sacerdotibusque missas celebrantibus suprascriptas quindecim solidos et pullos et ova dividendo

a) Questenberg, Par. St. Afra.